

nulli in casu, quo non solet dispensare, vel in quo non nisi difficillime dispensat Papa; quia sive soleat sive non, dummodo licite ac valide in aliquo casu dispensare possit, jam erit conditio honesta, et possibilis, « si Papa dispensaverit, » hoc ipso, quod licite et valide impleri valeat.

33. *Resp. Ad decisiones Rotæ.* — Ad decisiones a Diana et aliis allatas respondetur, extare plures etiam decisiones contrarias pro nostra conclusione facientes, quarum plures allegat Castro Palao, *de Sponsal.* disp. 1, pun. 16, n. 10, ac novissime Gobath, tract. X, *de Sponsal.* n. 165, ubi refert, se compertum habere, in tribus instantiis pronuntiatum esse pro matrimonio, sub conditione, « si Papa dispensaverit, » etiam in casu, quo probari non poterat, post obtentam dispensationem fuisse adhibitum novum consensum: consequenter cum Rota nonnunquam ipsa rotetur, et legem non faciat, a conclusione nostra discedendum non est.

34. *Neuter eorum, qui sub conditione si Papa dispensaverit, contrahunt, tenetur procurare dispensationem.* — *Resp. II.* Quamvis neuter sponsorum, qui sub conditione, « si Papa dispensaverit, » contraxerunt sponsalia, aut matrimonium, teneatur procurare dispensationem, tenetur tamen quivis eorum in sensu diviso vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore expectare, donec pars altera, si velit, procuraverit, nisi aliud in contractu conventum fuerit. Prima pars, quod neuter teneatur, docetur a Palao, *de Sponsal.* disp. 1, pun. 16, n. 12; Navarro, lib. IV, *Consil. de Sponsal.* consil. 2, in prima edit.; Coninck, disp. 29, dub. 2, n. 35, et aliis contra Sanchez, lib. V, disp. 5, n. 36, et alios. Ratio est, quia, uti supponitur, nullus se obligavit ad procurandam dispensationem, sed tantum ad contrahendum, « si Papa dispensaverit; » ergo ad plus obligari non potest; nam « contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, » c. 85, *de Reg. jur.* in 6.

35. *Tenetur tamen expectare, si alter procurare velit.* — Secundam partem, videlicet, quod saltem expectare teneatur, donec pars altera dispensationem procuret, si velit, docet Gobath, tract. X, casu 4, n. 164, patetque inde, quia hoc ipse, quod sub conditione de futuro contractum inierit, expectare proportionato tempore debet, an conditio illa eveniat, necne; alias penitus inanis

esset omnis contractus sub conditione initus, quod est contra jus tam canonicum h. t. quam civile *de Demonstr. et condit.* ff. et c. *Cum concord.*

36. *Dispensationem procurans tenetur ad expensas solus.* — Cæterum quamvis velit Sanchez, loc. cit. n. 37, utrumque sponsum teneri ad expensas pro rata; quia, ut ait, est negotium commune; tamen probabilius videtur, illum solum ad omnes expensas teneri, qui nuptias anhelans, dispensationem procurat: merito enim pars altera dicere potest: « Causam tuam, et non mea magis: ego enim præcise promisi contrahere tecum, si Papa dispensaverit, dispensationem autem procurare non promisi, nec eam desidero; si tu eam desideras, tuis expensis eam procura. »

37. *Nisi aliter conventum fuerit.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « nisi aliter in contractu conventum fuerit: » nam quia « contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, » c. 85, *de Reg. jur.* in 6, » juxta conventionem specialem specialis erit obligatio.

38. *Conditio: Si te virginem invenero, est quandoque honesta.* — Quæritur VI. Quid juris de sponsalibus, vel matrimonio contractis sub hac conditione, « si te virginem invenero? » *Resp. I.* Si hæc conditio ponitur de licita exploratione virginitatis, v. g. per inspectionem honestarum matronarum juxta c. *Causam*, 14, *de Probat.* aut per inquisitionem de vita et fama puellæ, aut alio licito modo, erit conditio honesta possibilis, consequenter de eadem sicut de cæteris conditionibus honestis possibilibus discurrendum erit. Sanchez, lib. V, disp. 16, n. 7; Navarrus, cap. xxxii, n. 66; Ledesma, *de Matrim.* q. 47, a. 5, dub. 3; Perez, disp. 16, sect. 10, n. 7 et 8, cum communi aliorum. Ratio patet, quia nihil inhonesti in ea invenitur.

39. *Quandoque inhonesta.* — *Resp. II.* Si vero præfata conditio intelligitur de exploratione virginitatis faciendâ per copulam, aut inspectionem, quam ipse sponsus peragere vult, vel alium illicitum modum, turpis est, consequenter de ea discurrendum, prout de aliis turpibus conditionibus § seq. discurremus. Doctores citati, cum communi aliorum. Ratio patet, quia talis conditio invitât ad peccandum; ergo jam hoc ipso turpis est.

## § II.

DE CONDITIONIBUS IMPOSSIBILIBUS, AC INHONESTIS  
AUT TURPIBUS APPPOSITIS MATRIMONIALI, SPON-  
SALITIO, AUT ALIIS CONTRACTIBUS.

40. *Si matrimonio adjicitur turpis conditio de futuro substantiæ matrimonii non contraria, valet matrimonium, et conditio habetur pro non adjecta: secus si repugnat substantiæ matrimonii.* — Quæritur I. Quid juris de matrimonio sub conditione impossibili aut turpi, sive inhonesta contracto? *Resp. I.* Si adjicitur matrimonio turpis aut impossibilis conditio de futuro, quæ repugnat substantiæ matrimonii, vitiatur, et ipso jure nullum est matrimonium. Si vero aliæ adjiciantur conditiones turpes, aut impossibiles, substantiæ tamen matrimonii non repugnantes, validum est matrimonium, et conditiones pro non adjectis habentur. Communis ac certa, textu claro c. fin. h. t. ibi: « Si conditiones contra substantiam conjugii insestantur; puta, alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditioem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas, etc. Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. »

41. *Ponitur et solvitur objectio ex jure. Omnes reliqui contractus sub conditione impossibili, sunt nulli.* — Objicies. Consensus contrahentium est de substantia matrimonii per dicta supra arg. 1. *Nuptias*, 3, ff. *de Reg. jur.* sed in tali matrimonio deest consensus saltem contrahentis sub conditione impossibili ex natura, utpote qui non voluit se obligare, nisi sub conditione impossibilis apposita; quam quia evenire non posse, bene scivit, censendus est, quod nullatenus se obligare aut contrahere intenderit, arg. § *Si impossibilis*, 11, *Instit. de Inutil. stipul.* ibi: « Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio, » et l. *Non solum*, 31, ff. *de Obligat. et act.* ibi: « Non solum stipulationes impossibili conditione applicatæ nullius momenti sunt, sed etiam cæteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interposita, æque sunt nullius momenti, quia in ea re, quæ ex duorum pluriumque consensus agitur, omnium voluntas spectatur, quorum

dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existimetur, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. »

42. In solvenda hac gravissima instantia, et explicatione cit. c. fin. h. t. multum laborant et variant doctores. Optima videtur interpretatio ac responsio eorum, qui dicunt dispositionem dicti c. fin. § fin. h. t. tantum habere locum in casu, quo dubium est de intentione et animo contrahentis sub conditione impossibili aut turpi, an nempe serio talem conditionem adjecerit, nolens alias contrahere, an vero jocosè tantum: stante enim tali dubio præsumit Ecclesia ita contrahentem vere et absolute voluisse contrahere, et conditionem jocosè tantum adjecisse, hoc ipso, quod sciverit, talem conditionem vel ex natura, vel de jure impossibilem adimpletu esse.

43. *Matrimonium est causa favorabilis, et pro ea in dubio judicandum.* — Ratio hujus interpretationis ac constitutionis cit. c. fin., h. t., est: Tam quia in dubio semper pro valore matrimonii judicandum est c. fin. *de sentent. et re iudic.* ad evitanda gravissima scandala, et animarum pericula, quæ sequerentur ex dissolutione matrimonii forsan valide contracti, præsertim si dein aliis nubere separatim, arg. c. *Licet*, 47, in fine, *de Test. et Attest.*, ubi propterea dicitur: « Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. Tum quia matrimonium est causa favorabilis sicut testamentum, c. *Directæ*, 39, in fine, *de appell.* et cit. c. fin. *de Sentent. et re iudicat.*; ergo sicut ob hanc causam in testamento conditiones impossibiles habentur pro non adjectis, arg. l. *Obtinuit* et l. *Multa*, ff., *de Condit. et Demonstr.* ita habendæ erunt in matrimonio.

44. *Quando matrimonium sub conditione impossibili ac turpi de futuro nullum sit?* — Quod si vero ex circumstantiis constaret, aut appareret, conditionem impossibilem, vel turpem, serio adjectam fuisse, consequenter sine animo contrahendi, nisi sub illa conditione, quæ impleri vel de facto, vel de jure non potest, matrimonium utique nullum foret, Sanchez, lib. V, disp. 3, n. 16; Wagnereck, in c. *Si Conditiones*, h. t.; Piring, h. t., num. 18; Engel, eod., n. 12 et 13, quia tunc ecclesiæ præsumptio cederet veritati, arg. l. *Continuus*, 137, § 2, in fine, ff., *de Verb. obligat.* et ibi Glossa, §. *Nullus*.

45. *Turpis conditio de præterito vel præsentis attenditur, et non habetur pro non adjecta.* — Resp. II. Si matrimonio apponitur inhonesta, aut turpis conditio de præsentis, vel præterito non habetur pro non adjecta, sed omnino attenditur, ita ut matrimonium statim valeat, si conditio illa subsistat; irritum autem et nullum sit, si non subsistat. Covarruvias, *de Matrim.*, p. 2, cap. III, § 2, num. 2; Alexander de Nevo, in *c. de Illis*, 3. h. t., n. 16 et alii; per ea quæ supra n. 5, dicta sunt. Accedit, quod turpis conditio de præsentis, aut præterito non invitat ad peccandum, sicut de futuro, uti loc. cit., bene advertit Covarruvias.

Nec obstat *c. fin.*, h. t., turpes conditiones pro non adjectis reputans, uti patet ex textu supra num. 40, adducto. Nam contra est, quod cit. *c. fin.*, loquatur de conditionibus proprie dictis, hoc ipso, quod verba legum et canonum in propria significatione accipere, et intelligere oporteat, arg. *c. Inter. 2, de Translat. episc.*, et lib. *Non aliter*, 69, ff. *de Legat.*, 3. Conditio autem de præsentis aut præterito, proprie conditio non est, lib. *Institutio*, 10, ff. *de Condit. et Demonst.* cujus textum vide supra num. 5.

46. *Bene tamen conditio ex natura impossibilis de præterito aut præsentis.* — Num autem conditio ex natura, aut facto impossibilis de præsentis vel præterito habeatur pro adjecta, variant doctores. Pontius siquidem, lib. III, cap. IV, cum Sylvestro, §. *Matrimonium*, 3, q. 1, in fine affirmant per fundamenta præcedentis conclusionis; Covarruvias vero, loc. cit.; Sanchez, lib. V, disp. 4, num. 3, et alii melius negant, et volunt talem conditionem semper haberi pro non adjecta, consequenter matrimonium initum semper esse validum, idque probant ex eo, quod matrimonium non minus sit favorabile quam testamentum, *c. Directa, de Appellat.*, sed in testamento ob favorem ejusdem etiam talis conditio habetur pro non adjecta arg. *l. Mævia*, 43, ff. *de Hæred. instit.*, ergo etiam in matrimonio.

47. Nec currit paritas cum conditione turpi; hæc enim rejicitur a jure, et habetur pro non adjecta, quia allicit ad peccandum; quæ merito, cum in turpi conditione de præsentis aut præterito non militet, bene dicitur, quod hæc in jure inter rejectas non comprehendatur. Conditio autem ex natura impossibilis rejicitur, quæ est omnino impossibilis, quod æque militat in conditione de

præsentis, aut præterito, ac futuro; æque enim impossibilis conditio est si dico: « Contraham tecum, si cælum digito tetigisti; ac si cælum digito tangas. » E contra non æque ad peccatum invitat, si dico: « Contraho tecum, si hunc jam occidisti, ac si dico si hunc occidas. »

48. *Doctrina practica de quibusdam matrimoniis sub conditione turpi aut impossibili initis in specie. Matrimonia hæreticorum pleraque nulla: et quare? Matrimonia quot, et quæ? — Infertur I. Pro praxi, matrimonia sequenti modo contracta esse nulla: « Contraham tecum, si generationem proli evitabis, » v. g. seminando extra vas, aut procurando sterilitatem, vel abortum. « Item contraho tecum ad certos annos, ut hac vel illa circumstantia eveniente aut non eveniente possim iterum discedere, aut alteri nubere, » prout in multis locis faciunt hæretici utpote qui cum hac expressa, eisque prælecta conditione contrahunt, ut una pars discedere, et alteri pro libitu nubere queat, si compars adulterium committit, vel a secta hæretica ad fidem catholicam se convertit. Ratio est, quia hæ conditiones omnes repugnant matrimonii substantiæ, consequenter vitiant aut irritant matrimonium per dicta num. 40. Prima namque conditio hic allegata est contra bonum proli. Secunda contra bonum fidei, seu mutue fidelitatis vi conjugii debite. Tertia est contra bonum sacramenti, individuum societatem exigens, in quibus tribus substantialia bona matrimonii consistunt, can. *Omne*, 10, caus. 27, q. 2.*

49. *Infertur II. Matrimonia sequenti modo contracta illico esse valida: « Contraho tecum, si hunc occidas, aut illud furtum committas, vel si fidem hæreticam acceptes, vel si cælum digito tangas, vel si ex aqua vinum efficias, etc. »* Quia sunt conditiones inhonestæ, vel impossibiles substantiæ matrimonii non repugnantes, consequenter pro non adjectis habentur, nisi ex conjecturis constet, ita promittentem non habere animum contrahendi sub hac conditione per dicta supra n. 40 et n. 44.

50. *Infertur III. Matrimonia sub sequentibus conditionibus contracta dependere quoad valorem ab existentia conditionis: v. g. « Contraho tecum, si es hæretica, vel si hunc occidisti, vel si illam rem furata es, vel si rebellibus adscripta jam es; quia sunt conditiones turpes de præsentis, vel præte-*

rito, quæ pro adjectis attenduntur per dicta n. 45. » E contra statim validum esse matrimonium sequens: « Contraho tecum, si de facto cælum digito tangis, vel si cogitationes cordis mei agnoscis, per dicta n. 46. »

51. *Omnes contractus sub conditione impossibili ex natura aut facto initi, sunt nulli.* — Quæritur II. Quid juris de sponsalibus et aliis contractibus sub conditione impossibili, aut turpi, et inhonesta initis? Resp. I. Contractus, consequenter etiam sponsalia, solo excepto matrimonio, et ultimis voluntatibus, per appositionem conditionis ex natura aut facto impossibilis vitiantur, et sunt ipso jure nulli. Conclusio plures habet partes; quarum primam de contractibus in genere tenent omnes, textu expresso *l. Non solum*, ff. *de Oblig. et Act.* cujus textum vide supra n. 41, ubi etiam ratio additur; quia nempe hoc ipso, quod quis contractui impossibilem conditionem apponat, censetur nullum habere animum contrahendi.

Intellige tamen conclusionem de conclusione impossibili affirmativa, v. g. « Si cælum ascenderis, » nam si negativa apponitur v. g. « Si cælum non ascenderis, » contractus pure initus censetur, adeoque valet, textu claro *l. Impossibilis*, 7, *de Verb. obligat.* Ratio est, quia, cum ejus contraria sit impossibilis, ejus negativa erit necessaria, vera et præsens, quæ statim inest, arg. *l. In illa*, ff. *de Verb. obligat.*

52. *Etiam sponsalia.* — Secunda pars de sponsalibus docetur a Salmanticensibus et Ledesma, *de Matrim.*, q. 43, a. 5; Perez, disp. 12, sect. 3, num. 3 et alii contra Sanchez, lib. V, disp. 17, num. 2 et communissimam aliorum, quamvis Sanchez fateatur, nostram sententiam solidiori niti fundamento. Probatur. De jure conditio impossibilis apposite vitiat omnes contractus per dicta num. præced., ergo etiam sponsalia. Tum quia « legis verba generalia generaliter sunt intelligenda, » *c. Quia circa. de Privileg.* Tum quia « exceptio unius firmat regulam in contrarium, » arg. *c. In iis quæ*, ff. *de Legib.* Solum autem excipitur matrimonium *c. fin.* h. t., et ultimæ voluntates, per jura infra, num. 56, citanda: ergo hæc exceptio probat, quod sponsalia a lege communi non sint excepta, consequenter juxta eam vitiantur, et sint nulla per conditionem impossibilem appositam, sicut cæteri contractus, cit. *l. Non solum*, ff. *de Obligat. et Act.*

53. *Solvitur objectio.* — Objicies cum adversariis illud tritum, sponsalia sunt initium et via ad matrimonium; ergo quod de hoc in jure est dispositum, censetur etiam dispositum de sponsalibus, arg. *l. Oratio*, 16, ff. *de Sponsal.* consequenter, cum *c. fin.*, h. t., de matrimonio disponatur, quod conditio impossibilis ei adjecta illud non vitiet, sed habeatur pro non adjecta, idem dicendum erit de sponsalibus. Hoc est principale, et unicum adversariorum fundamentum, quod tamen facile solvitur. Respondetur enim, illud commune dictum: « Disposita de matrimonio censentur etiam disposita de sponsalibus, » locum non habere, quando de matrimonio disponitur ex speciali ratione, quæ non militat in sponsalibus, Gutierrez, *de Juram.*, p. I, cap. II, a. n. 9, et ipse Sanchez, lib. V, disp. 12, n. 3, cum communi, prout contingit in præsentis, siquidem *c. fin.* h. t., *Conditiones impossibiles* matrimonio appositas pro non adjectis statuit ob specialem favorem matrimonii, et ad gravissima incommoda ac pericula animarum vitanda, quæ ex dissolutione matrimonii forsitan invalidi sequerentur, juxta dicta num. 42. Qui favor et ratio specialis, cum non inveniat in sponsalibus, dictam dispositionem *c. fin.*, h. t., de matrimonio factam, ad sponsalia extendere non debemus.

54. *Et confirmatur ulterius conclusio de sponsalibus.* — Confirmatur a simili in matrimonio clandestino, de quo licet extet dispositio concilii Tridentini, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. 1, quod sit invalidum, tamen juxta communem et certam etiam adversariorum sententiam, dicta concilii Tridentini dispositio non extenditur ad sponsalia, quia videlicet ratio illa specialis, quam concilium pro matrimonio habuit, non militat in matrimonio, per dicta tit. I, § 1, n. 22.

55. *Confirmatur ulterius: « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, » c. Quæ*, 28, *de Reg. jur.*, in 6, atqui dispositio, *c. fin.* h. t., *Conditiones impossibiles* in matrimonio pronon adjectis habens, a jure communi exorbitat; cum juxta hoc, quin et naturale jus contractus sub conditione impossibili sit nullus, arg. cit. *l. Non solum*, ff. *de Obligat. et Act.* ergo ulterius extendi non debet.

56. *Matrimonium et ultimæ voluntates per appositionem conditionis impossibilis non vitiantur.* — Tertia tandem pars, quod matrimonium, et ultimæ voluntates per conditio-

nem impossibilem non vitentur, sed hæc habeatur pro non adjecta, caret controversia. Et quidem de matrimonio jam dictum est ex c. fin. h. t. De ultimis voluntatibus autem constat ex § *Impossibilis. Instit. de Hæred. instit.* ibi: « Impossibilis conditio in institutionibus, et legatis, necnon in fideicommissis et libertatibus pro non scripta habetur, cum concordantiis, et jam dictum est supra. »

57. *Turpis conditio de futuro repugnans substantiæ matrimonii appositæ sponalibus, illa annullat.* — Resp. II. Si sponsalibus adiciatur turpis conditio de futuro, repugnans substantiæ matrimonii, vitiantur et nulla sunt; doctor Seraphicus in 4, dist. 28, q. 3, n. 13. D. Thomas, ibid., dist. 27, q. 2, a. 4, cum communi aliorum, arg. c. fin., h. t., licet enim de solo matrimonio loquatur, tamen quia ratio dispositionibus de his conditionibus etiam in sponsalibus urget, ad hæc quoque extendi debet, arg. l. *Oratio. 16. de Sponsal.* Quænam autem sint conditiones repugnantes substantiæ matrimonii, vide supra num. 48.

58. *Secus est, si substantiæ matrimonii non repugnat.* — Resp. III. Si sponsalibus adiciatur turpis, aut inhonesta conditio de futuro substantiæ matrimonii non repugnans, v. g. « Ducam te, si mecum fornicaris, vel si fidem catholicam derelinquis, vel si illud furtum facies, vel si hanc occidas, etc. » non habetur pro non adjecta, sed attenditur, ita ut licet ante impletam talem conditionem sponsalia non obligent, tamen postquam impleta est talis conditio, sponsalia valent, et obligant æque ac si honesta conditio de futuro adjecta, ac impleta esset. Pontius, l. II, *de Matrim.*, q. 10, sect. 5; Palao, *de Sponsal.*, disp. 1, pun. 16, n. 4; Ledesma, *de Matrim.*, q. 47, a. 5 ad finem, Perez, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 3, n. 4, ubi citat communem contra Sanchez, lib. V, disp. 17, num. 2, qui pro se citat concordem omnium. Ratio est, quia reliqui contractus sub turpi conditione de futuro adimpleta conditione, ut diximus, valent et obligant, ut fatentur omnes, arg. lib. XI, § 1, ff. *Qui potiores pignor.*, ergo etiam sponsalia, utpote specialiter non excepta.

59. *Solvitur instantia.* — Non obstat c. fin., h. t., ubi conditiones matrimonio appositæ habentur pro non adjectis. Respondetur enim illam specialem de matrimonio factam dispositionem juris non extendi ad sponsalia, per dicta supra n. 53 et seqq.

60. *Turpis conditio de præsentis aut præterito appositæ sponalibus, quid faciat?* — Resp. IV. Si sponsalibus adiciatur turpis conditio de præsentis aut præterito, eundem effectum habet, quem in matrimonio, juxta dicta supra n. 45, ob eadem rationis et juris fundamenta.

61. *Modus, causa, et demonstratio quid? Matrimonium vel sponsalia sub causa, aut demonstratione etiam falsa, inita valent.* — Quæritur III. Quid juris de sponsalibus et matrimonio sub modo? sub causa? et cum demonstratione? Agunt doctores plerumque hic etiam de his, quia conditionibus valde affines sunt. Quid autem sit modus, causa, et demonstratio, et quo modo contractus vel actus aliquis fieri possit sub modo vel sub causa, vel cum demonstratione habes, lib. III, tit. XXVI, a. n. 656, ubi vide, ne superflua fiat repetitio. Hoc præsupposito. Resp. I. sponsalia et matrimonium, aliquæ contractus celebrati sub causa, vel cum demonstratione, sive possibili, sive impossibili, sive turpi, sive honesta, sive substantiæ matrimonii contraria sive non, nec suspendant, nec vitiant contractum, etsi contingat error, nisi hic versetur circa personam v. g. si quis ita dicit: « Contraho, vel contraham tecum, quia es dives, vel quia es nobilis, vel quia es virgo, vel quia es virtuosa, vel quia es omnipotens, vel quia es hæretica, vel quia generationem prolis evitabis, vel quia mecum fornicata es, etc. (quæ sunt meræ causæ) vel, quia es talis, virgo, dives, etc. (quæ est demonstratio) valent sponsalia et matrimonium etsi talis dives, aut virgo, aut nobilis, etc. » non esset. Sanchez, lib. V, disp. 19, n. 2; Palao, *de Sponsal.*, disp. 2, pun. 11, § 5, n. 2; Pirhing, h. t., n. 29; Engel, h. t., n. 20., cum communi aliorum. Ratio est, quia causæ et demonstrationes etiam falsæ non obsunt contractui, nec vitiant illum, sed habentur pro non adjectis, arg. l. *Falsa*, 33, et l. *Cum tale*, 72, § 6, *de Condition. et Demonstrat. juncto § Longe*. 31. *Instit. de Legat.*

62. Nec refert, etsi quis non contraxisset, si errorem scivisset; quia error circa qualitatem non vitiat sponsalia aut matrimonium per dicta tit. I, n. 343, bene tamen circa personam, juxta dicta ibid., arg. l. *Quoties*, 9, ff. *de Hæred. instit.* ubi ratio additur illis verbis: « Quoniam voluntate deficitur. »

63. *Quid juris de sponsalibus aut matrimonio sub modo?* — Resp. II. Modus sive possibilis,

sive impossibilis, sive turpis, sive honestus sponsalia aut matrimonium, aliosque contractus nec suspendit, nec vitiat, sed, si modus turpis aut impossibilis est, habetur pro non adjecto; si vero possibilis et honestus est, parit obligationem exequendi id, quod per modum oneris fuit adjectum: v. g. si quis dicit: « Contraho, vel contraham tecum, ut digito cælum tangas, vel ut me adjuves ad illum occidendum, aut illud furandum, etc. » valet matrimonium, aut sponsalia, et conditio habetur pro non adjecta, nec parit ullam obligationem illam adimplendi: si quis vero ita dicat: « Contraho, vel contraham tecum, ita tamen, ut illos pupillos educes, tantam dotem offeras, mecum ad illum locum pergas, etc. » valet quidem statim actus, ita tamen, ut aliter obligatus maneat ad modum, seu onus adjectum exequendum, Sanchez, lib. V, disp. 19; Pirhing, h. t., n. 32; Sylvester, §. *Matrimonium*, 3, q. 12, cum communi aliorum dicentium, quod hi modi non suspendant contractum. Ratio est, quia in actu sub modo consensus non præstat a modo, sicut fit in conditione, sed illum præcedit, in quo differt a conditione. Nam natura modi est, ut non suspendat actum. l. *Cum ab eo*, 41, ff. *de Contrah. empt.*

Quod autem modus turpis aut impossibilis non vitiet actum, sed habeatur pro non adjecto, patet tum ex dictis supra de hujusmodi conditionibus, tum ex dicendis infra num. seq., et amplius docet Molina, *de Justitia et jure*, disp. 208, n. 11, quod vero modus honestus sui obligationem pariat, clare patet ex l. I, *C. de Donat. sub modo*.

64. *Modus etiam substantiæ matrimonii repugnans, non vitiat illud.* — Resp. III. Non vitiantur, sed valent sponsalia, et matrimonium etiam sub modo substantiæ matrimonii contrario contracta, Palao, *de Sponsal.*, disp. 2, pun. 11, § 5, n. 3; Ledesma, cit., q. 47, a. 5, dub. 3; Perez, disp. 16, sect. 15, n. 14, contra Sanchez, loc. cit., num. 5; Pirhing, loc. cit., n. 30. Ratio est, quia universaliter loquendo, nullus modus suspendit actum, nec consensus dependenter a modo præstat, sed jam perfectum supponit, eique advenit cit. l. *Cum ab eo*, ff. *de Contrah. empt.* at si valide jam est contractus, per talem non amplius vitari potest: ergo.

Nec objicias cum Sanchez, loc. cit., c. fin., h. t., ubi expresse habetur, quod conditiones substantiæ matrimonii contrariæ vitient

illud. Resp. enim, quod, cum illud c. fin., h. t., expresse loquatur de solis conditionibus, ad modos extendi non queat, ne modus et conditio confundantur.

## TITULUS VI.

## Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.

1. *Ratio continuationis.* — Absoluta materia de sponsalibus et matrimonio pure et conditione initis, explicatisque nonnullis impedimentis præsertim publicæ honestatis, ac clandestinitatis, pergit compiler ad reliqua impedimenta matrimonii examinanda, et quidem in præsentis titulo de duobus dirimentibus agit, ordine nempe sacro, et voto castitatis solemnii, ac impediendo, voto nempe simplici.

2. *Ordines sacri dirimunt matrimonium contrahendum.* — Quæritur I. An? quando? respectu quorum? et quo modo matrimonium dirimat ordo? Resp. I. Quod ordines sacri sint impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, et consequenter, quod clerici in ordinibus sacris constituti matrimonium nec licite nec valide contrahere possint, certum est ac de fide. Omnes. Patetque ex concilio Tridentino, sess. 24, *de Sacramento matrimonii*, can. 9, ibi: « Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, etc. Anathema sit. » Concordant can. *Presbyteris*, 8, dist. 27, ibi: « Presbyteris, diaconis, et subdiaconis, etc. » item can. *Presbyterum*, 16, dist. 28, cap. I, *de Clericis conjug.*, c. I et II, h. t., et alibi passim rationem sanctissimarum harum ecclesiæ legum clericos reddentium inhabiles, vide lib. III, tit. III, *de Clericis conjug.*, a. n. 3.

3. *Non item ordines minores.* — Dicitur autem notanter in conclusione ordines sacri; quia ordines minores nec impediunt, nec dirimunt matrimonium, uti jam diximus lib. III, tit. III, n. 4, quamvis clerici in minoribus constituti beneficium perdant, si nubant, ut ibid., n. 9, diximus.

4. *Etiam Græci in majoribus constituti non*